Judicatæ rei solvendæ non solutæ compensatio recte petitur.

2. Idem A. Asclepiadæ.

EX [1] causa quidem judicati [si debitum] solutum repeti [2] non potest, ea [3] propter nec compensatio [4] ejus admitti potest. † Eum vero, qui judicati convenitur [5], compensationem pecuniæ sibi debitæ implorare posse nemini dubium est.

Reipublicæ debitor certis casibus compensationem non objicit.

3. Imp. ALEXAND. A. Capitoni.

IN ea, quæ Reipublicæ te debere fateris, compensari ea quæ [invicem] ab [6] eadem tibi debentur, is cujus de ea re notio est, jubebit: si [7] neque ex Kalendario, neque ex vectigalibus [8], neque ex frumenti, vel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque ejus qui statutis sumptibus servit, neque fideicommissi civitatis debitor sis.

Quantitatis & pecuniæ compensatio ipso jure fit, & ad concurrentem quantitatem usuræ sistuntur.

4. Idem A. Luciano.

SI constat pecuniam invicem [9] deberi [10]: ipso [11] jure pro soluto [12] compensationem haberi oportet ex eo tempore, ex quo ab utraque parte debetur, utique quoad concurrentes quantitates, ejusque solius quod amplius apud alterum est, usuræ debentur, si modo petitio earum subsistit [13].

Ex testamento debitum ita compensari potest, ut ejus usuræ non debeantur, quod compensari potest.

5. Idem A. Honoratæ.

ETiamsi fideicommissum [14] tibi ex ejus bonis deberi constat, cui debuisse te minorem quantitatem dicis, æquitas [15] compensationis usurarum excludit computationem: petitio autem ejus quod amplius [16] tibi deberi probaveris, sola relinquitur.

Ut pecuniæ cautæ non numeratæ, non est necesse compensationem opponi, ita rerum amotarum nomine recte petitur compensatio.

6. Idem A. Pollidenti.

NEque scriptura [17], qua cautum est accepta, quæ [18] negas tradita, obligare te contra fidem veritatis potuit: & compensationis æquitatem jure postulas. Non enim prius exolvi, quod debere te constiterit, æquum est, quam petitioni mutuæ [19] responsum fuerit: eo magis, quod ea te persequi dicis, quæ a muliere divortii causa amota quereris. PP. Dat. Kal. Decemb. ALEX. A. III. & DIONE CONSS. 230.

Venditor privatus pretium petens compensationem patitur, non fiscus.

7. Idem A. Euzosio.

SI ex venditione pretium venditori debetur: compensationis ratio opponitur. Adversus fiscum [20] enim solummodo emptores petitioni pretii compensationem objicere prohibentur.

De fructibus perceptis, & de legato.

8. Imp. GORDIANUS A. Emerito.

SI propter fructus [21] ex possessione tua perceptos vitricus tuus debitor tibi constitutus est: cum id quod a matre tua ei legatum est, a te petere cœperit; mutuo [22] debitæ quantitatis apud eum, qui super ea re judicaturus est, compensationem non immerito objicies.

Alteri quod debes non mihi, compensare mihi non cogeris.

9. Idem A. Eumenidi.

EJus, quod non ei [23] debetur, qui convenitur, sed alii, compensatio fieri non potest.

De indebito soluto.

10. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Nicandro.

QUoniam liberum [24] fundum distractum tibi proponis: post vero, veluti præcedente emptionem obligatione certum quid solvisse [25], si debitum a te apud Præsidem provinciæ petatur: compensationem ejus quod indebite [26] solvisti potes opponere.

De nominatoribus tutorum.

11. Iidem AA. Juliano & Paulo.

SI tutores [27] pupillis officio magistratus urgente nominastis [28], ac pro his [29] propter onus primipili [30] pecuniam solvistis, superstitiosam geritis solicitudinem, ne ab ipsis conventi [31] hanc eis imputare [32] minime possitis, vel a vobis quicquam amplius exigatur, si tantum [33] quantum eis tutores debuerunt, vel vos nomine ipsorum majorem [34] quantitatem dedisse probetur.

De parte compensata, & de pignoribus.

12. Iidem AA. & CC. Corneliano.

INvicem [35] debiti compensatione habita, si quid amplius [36] debeas, solvens, vel accipere creditore nolente offerens [37], & consignatum deponens, de pignoribus agere potes.

De publicis pensitationibus.

13. Iidem AA. & CC. Basso.

SI velut in id debitum, quod solennium [38] publicarum pensitationum nomine [debueras] compensaturo tibi, nihil te petiturum postea Mutiano [39] scripsisti: redditis [40] his quæ venerant in compensationem, non indebiti soluti repetitio, sed ante debiti competit exactio.

De actionibus in rem, vel in personam. 1. De debito liquido vel non liquido. De deposito. 2. De possessione occupata.

14. Imp. JUSTINIAN. A. Joanni P. P.

COmpensationes [41] ex omnibus [42] actionibus ipso [43] jure fieri sancimus, nulla differentia in rem [44], vel personalibus actionibus inter se observanda. §. 1. Ita tamen compensationes objici jubemus, si causa, ex qua compensatur, liquida sit [45], & non multis ambagibus innodata, sed possit judici facilem exitum sui præstare: satis enim miserabile est post multa forte variaque certamina, cum res jam fuerit approbata, tunc ex altera parte, quæ jam pene convicta est, opponi compensationem jam certo & indubitato debito, & moratoriis ambagibus spem condemnationis excludi. Hoc itaque judices observent, & non procliviores ad admittendas compensationes existant: nec molli animo eas suscipiant: sed [46] jure stricto utentes, si invenerint eas majorem & ampliorem exposcere indaginem, eas quidem alii judicio reservent; litem autem pristinam jam pene expeditam, sententia terminali [47] componant: excepta actione depositi [48] secundum nostram sanctionem, in qua nec compensationi locum esse disposuimus. §. 2. Possessionem autem alienam [49] perperam occupantibus compensatio non datur.

TIT. XXXII.
DE USURIS [50].

Stipulatio parit usuras, nec scripturam exigit.

1. Imp. ANTON. PIUS A. Evocato.

SI [51] interrogatione præcedente promissio usurarum recte facta probetur: licet instrumento conscripta [52] non sit, tamen optimo jure debentur.

Mora emptoris parit usuras venditori.

2. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Lucio.

USuras emptor, cui possessio rei tradita [53] est, si pretium venditori non obtulerit [54]: quamvis pecuniam obsignatam in [55] depositi causam habuerit, æquitatis ratione præstare cogitur.

1 Judicati ex causa qui convenitur, compensare potest: qui tamen si ex eadem causa jam solvit, quamvis iniqua sententia sit, neque solutum repetit, neque in compensationem alterius debiti: ejus nomine conventus, opponit se indebitum aliquod ante solvisse, ut hic, εἰ μὴ προετελέυτει χρήσεως ἄνωθεν τὰ τῆς δίκης γυμνασθῇ, id est, nisi usus accessione, iis jam antea quoque fuerit exercita. Synopsis, & ibid. *Scholiastes cap.* 26. 2 Solutum judicati causa non repetitur, nec compensatur, licet judicatum iniquum fuerit. 3 Compensari non potest, quod solutum repeti non potest. 4 Compensationis exceptio potest in executione sententiæ opponi. 5 Id est, sententia mandatur executioni. 6 *l. ult. ff. h. t. l.* 46. §. 5. *ff. de jure fisci.* 7 Reipubl. potest objici compensatio. *Goth.* Vide Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 8. *num.* 19. Ans. 8 Compensatio fisco objici non potest petenti tributa, *ut hic.* adde *l. aufertur.* 46. §. *ut debitorib.* 5. *ff. de jure fisci.* Quid? decimas petentibus compensatio num recte potest objici? negat objici posse Roman. *sing.* 547. *argum. hujus legis.* eo magis quod decimæ Deo debeantur, *cap. tua nobis* 26. *de decimis.* Idem notat *gloss.* 16. *quæst.* 1. *cap. decimæ* 66. 9 *l.* 10. §. 2. *ff. h. t.* 10 Vide de compensatione Socinum *reg.* 61. Roman. *cons.* 204. *col.* 2. *n.* 9. Angel. *cons.* 132. Afflictum *decis.* 163. Vivi. *lib.* 1. *commun. opin. in vers. compensatio.* 43. *opin.* Mod. 11 *l.* 5. *infr. h. t. l.* 4. *ff. h. t. l.* 7. J. *de solut.* Goth. Vid. Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 8. *num.* 121. 131. Ans. 12 Compensationis vis hæc est, ut solutionis similitudinem habeat: id est, ut qui compensare possit, solvisse videatur. Proinde qui totius debiti compensationem habet, integrum debitum: qui partis, eam partem solvisse, & ejusdem partis usuras legitime debitas sustulisse intelligitur. *Synopsis Basil. & ibi Scholiastes* 7. *titul.* 6. *ex tit.* 10. *cap.* 27. Solvit qui compensat. vide *l. si debitor.* 4. *in fin. ff. qui potiores.* 13 Quando subsistat, vide *l.* 88. *ff. de reg. jur. & ibi* Decium. 14 Debitum ex testamento potest compensari. 15 §. 39. *Inst. de act.* Hoc quid est? ipso jure fit compensatio. *l.* 4. *supr. h. t.* 16 Partis admittitur compensatio, at non solutio. *l.* 12. *infr. h. t.* vid. Negusantium *tract. de pignor. memb.* 5. *part.* 3. *num.* 24. 17 *l.* 13. J. *de sol.* 18 Nuda mutui cautio destituta numeratione non obligat. 19 *l.* 8. J. *h. t.* 20 Venditor nisi sit fiscus, petens pretium patitur compensationem. *l.* 46. §. 5. *ff. de jure fisci. Synops. Basil. h. t. cap.* 31. 21 Fructuum consumptorum debitor compensationem patitur. 22 *l.* 6. *supr. h. t.* 23 Creditor compensare non cogitur, quod alii, quam debitori suo debet. *l.* 16. *ibi, ab alio. l.* 18. *ff. h. t.* vide tamen *l.* 5. *ff. h. t.* An procurator in rem suam compensare possit, quod actor domino debet, vid. apud Cujac. 24. *observ.* 37. 24 Venditor tenetur fundum luere & tradere liberum, non solum a servitutibus, sed etiam a creditoribus. 25 Emptor quod solvit, empti fundi liberandi causa, imputare potest in id pretium quod debet venditori. 26 Quantum ad te: debite, quantum ad venditorem attinet. 27 Vid. in hanc legem Zanger. *de except. part.* 3. *c.* 8. *n.* 66. Ans. 28 Magistratus potest onus nominandi tutoris alicui mandare. 29 Pupilli scilicet absentibus tutoribus, quos nominastis. 30 Vide *l.* 4. J. *de primipilo. lib.* 12. *tit.* 63. 31 Qui tutorem nominavit, a pupillo potest conveniri. 32 Principalis quod imputare potuit, id ejus successor ac subsidiarius imputat. 33 Qui tutorem nominavit ejus in subsidium in eam quantitatem quam is debuit, tenetur. 34 Si tutor plus impendit, quam accepit, pupillo imputat, ergo & is, qui tutoris loco quid impendit, id imputabit.

35 *l.* 2. *supr. h. t.* 36 *l.* 5. *supr. h. t.* 37 Partis qui compensationem petit, residuum offerre, consignare & deponere tenetur. *l.* 10. *in fin. l.* 12. *supr. de pignor. action. l.* 3. J. *de luitione pignor.* 38 Quod solennium ac publicarum pensitationum nomine debeo, compensare non possum cum eo, quod mihi a curatore Reipub. privatim debetur. 39 Curatori Reipublicæ. 40 Id est, solutis: ut sit sensus, dicis te debitorem publicarum functionum coactum fuisse a novo Reipublicæ curatore solvere, quod antea cum Mutiano ejus decessore, (privati ejus, non fiscalis debiti causa) compensaveras: & quæris, num a novo illo curatore solutum possis repetere? non potes. potes tamen a Mutiani herede id, quod tibi debitum est, exigere. 41 Nihil novum induci hac constitutione notat Cujacius 8. *observ.* 16. 42 Compensationes ex omnibus actionibus ipso jure fiunt, ut hic, ex omni contractu naturali vel civili. *l.* 4. *ff. h. t.* naturali tantum. *l.* 6. *ff. h. t.* testamento. *l.* 5. J. *h. t.* contestatione judiciali. *l.* 8. J. *h. t.* actionibus in rem & in personam. J. *h. t.* at non in facti obligationibus: est enim inter artifices longa differentia. *l.* 31. *ff. de solutionib.* nec facta functionem solutionis recipiunt. *l.* 2. §. 7. *ff. de eo quod certo.* De aliis exceptionibus dicetur alibi. His interim adde quæ scripsi ad *l.* 36. *ff. de administ. & peric. tut.* nempe compensationem, quæ fit ipso jure, solas ad usuras usurarum odio restringi. Accurs. *in l.* 10. *ff. h. t.* 43 §. 30. *Instit. de actionib. l.* 4. *supr. & l.* 4. *l.* 10. *ff. h. t.* 44 *dict.* §. 30. vid. Cujac. 15. *observ.* 12. 45 Non liquidi ad liquidum non fit compensatio. Compensatio denique non fit nisi debiti liquidi, confessi, præsentis, non controversi, non incerti, quod & ante Justinianum fuit, *l.* 22. *ff. h. t. l.* 3. *ff. de tut. & rat. distrah.* Adde huic loco Socin. *reg.* 61. 46 Non hoc dicit, compensationes jure stricto niti: sed hoc potius, judicum in compensationibus admittendis vel non admittendis magnam potestatem esse. 47 Terminalis sententia est, quæ causæ terminum adfert. sic terminalis lapis, qui agrum finit. Ammianus Marcellin. 38. *qui & finalis apud autores de limitibus agrorum.* 48 Res deposita non potest prætextu compensationis retineri: id est, ubi depositum repetitur, non admittitur petitio compensationis. *l.* 11. *ff. depositi.* hoc etiam ante Justinianum fuit. Paul. 2. *sent. tit. de deposito,* 12. §. 3. 49 Spoliato non objicitur compensatio. Spoliatus ante omnia restituendus est, non obstante compensationis exceptione. vide Forrer. 2. *select.* 14. vel ita, in actione momenti compensationi locus non est: quod olim quoque obtinuit. Nam momentanea impediri possunt. 50 *L.* 22. *D.* 1. & 2. *C. Theod.* 33. & 2. Paul. *sent.* 14. & 23. *Eclog.* 3. & 3. Harmen. 7. & 5. *extr.* 39. vid. Papon. 12. *Arrest.* 7. *des contraits usuraires &c.* adde *de usur. rei judicatæ lib.* 7. *tit.* 54. *infr. de naut. fœn.* 22. *ff.* 2. *Novell.* 121. Molin. *in tract. de usur. De usur. pupill.* vid. *l.* 5. *tit.* 56. An licitum sit aliquid extra sortem accipere, dixi ad *l.* 2. J. *de pign. act.* & omnium maxime ad *l. placuit.* 29. *ff. de usur.* 51 Usuræ ex promissione non debentur, nisi stipulanti sint promissæ. 52 Usurarum stipulatio scripturam non requirit. Stipulatio ἄγραφος, id est, non scripta usurarum valet. 3. Harmen. 7. §. 2. dixi ad *l.* 17. *supr. de pact.* 53 Emptor usuras debet pretii a die traditionis rei factæ. *l.* 5. *infr. & l.* 13. §. 20. *ff. de act. empt.* 54 Et eatenus fuerit in mora. Mora emptoris in pretio solvendo parit usuras, id est, usuris eum subjicit. 55 Sola destinatio & voluntas deponendi emptorem, cui res jam tradita est, non excusat ab usuris. Differunt hæc deposuisse & deponere voluisse.

Nuda conventio parit interdum usuras, si vel solutæ sint, vel pignus in eas datum.

3. Iidem AA. Juliano.

QUamvis usuræ fœnebris pecuniæ citra [1] vinculum stipulationis peti non possint: tamen ex pacti conventione solutæ, neque ut indebitæ repetuntur [2], neque in sortem accepto ferendæ sunt.

Pignus obligatum pro minoribus usuris, non potest retineri pro majoribus ex posteriori contractu nascentibus. Bald.

4. Iidem AA. Honorio.

PEr retentionem [3] pignoris usuras servari posse, de quibus præstandis convenit, licet [4] stipulatio interposita non sit, merito constitutum est, & rationem habet: cum [5] pignora conventione [6] pacti etiam usuris obstricta sint. † Sed [7] enim in causa de qua agis, hæc ratio cessat, siquidem tempore contractus de minoribus usuris petendis convenit, postea [8] autem cum se debitor præstaturum majores repromisit, non potest videri rata pignoris retentio: quando eo tempore, quo instrumenta [9] emittebantur, non convenit, ut pignus etiam ad hanc adjectionem [10] teneatur.

Remittit majores usuras, qui minores certis annis exegit.

5. Iidem AA. & CC. Sabino & aliis.

ADversus creditorem usuras majores ex stipulatu petentem, si probetur per [11] certos annos minores [12] postea consecutus, utilis est pacti exceptio: secundum quod tueri causam potestis etiam adversus [13] defensores civitatis majores petentes ex cautione, si probaveritis semper [14] quincunces [15] amitam pupillorum vestrorum, quæ majores caverat, dependisse.

Oblatio, obsignatio, depositioque sortis & usurarum ut facienda sit, & quam vim habeat.

6. Imp. ANTON. A. Antiæneo.

SI creditrici [16], quæ ex causa pignoris obligatam sibi rem tenuit, pecuniam debitam cum usuris testibus præsentibus [17] obtulisti; eaque non accipiente obsignatam eam deposuisti [18], usuras ex eo tempore, quo obtulisti [19], præstare non cogeris: absente [20] vero creditrice, præsidem super hoc interpellare debueras.

Præstitæ aliquando usuræ perpetuam obligationem usurarum non pariunt.

7. Idem A. Aristeo.

CReditor instrumentis suis probare debet, quæ intendit [21], & usuras se stipulatum, si potest. Nec enim si aliquando [22] ex consensu præstitæ sunt, obligationem [23] constituunt.

Remittit majores usuras, qui minores sciens postea exegit.

8. Idem A. Theophoro.

QUamvis Bassa, cum pecuniam mutuam acciperet, minores usuras Menophani [24] spopondit; & *nisi intra certum tempus eas solvisset, ampliores* [25] (licitas [26] tamen) promisit [tamen,] si post tempus cautioni præfinitum creditor easdem [27] accepit, nec majores sibi dari postulavit, ac per [28] hoc non recessisse eum a minorum præstatione probari potest: eas usuras computari oportet, quarum in exactione creditor perseveravit.

Oblatio debiti facta tutori creditoris liberat a majoribus usuris: depositio vero ab omnibus.

9. Idem A. Probo.

SI per te non stat, quominus intra tempora præfinita pecuniam minorem solveres [usurarum [29],] sed per [30] tutores filiorum creditoris, qui eam accipere noluerunt, idque apud judicem datum probaveris, ejus temporis, quo per te non stetisse apparuerit, usuræ majores non exigentur. † Quod si etiam sortem deposuisti, exinde ex quo id factum apparuerit in usuras [31] non convenieris.

De dupli computatione.

10. Idem A. Donato.

USuræ per [32] tempora solutæ [33] non proficiunt reo ad dupli [34] computationem. Tunc enim, ultra sortis summam usuræ [35] non exiguntur, quoties tempore solutionis summa usurarum excedit eam computationem.

Post oblatum sibi debitum fructus pignoris percipiens creditor eos in sortem imputare cogitur.

11. Idem A. Popilio.

EX prædiis pignori obligatis creditor post oblatam [36] sibi [37] jure pecuniam quam non suscepit, si fructus [38] accepit, exonerari [39] sortis debitum certum est [40].

De nudo pacto.

12. Imp. ALEXAND. A. Tyranno.

FRumenti [41], vel hordei mutuo dati accessio, etiam ex nudo [42] pacto præstanda est.

De judiciis bonæ fidei. De re judicata.

13. Idem A. Eustachiæ.

IN bonæ fidei judiciis [43] (quale est negotiorum [44] [etiam] gestorum) usurarum rationem haberi certum est. † Sed si finitum est judicium sententia, quamvis minoris condemnatio facta est, non [45] adjectis usuris, nec provocatio secuta est, finita retractanda non sunt: nec [46] ejus temporis, quod post rem judicatam fluxerit, usuræ ullo jure postulantur, nisi ex causis judicati.

De antichresi.

14. Idem A. Aurelio.

SI ex pactione uxor tua mutuam pecuniam dedit, *Ut* [47] *vice* [48] *usurarum* [domum] *inhabitaret*, pactoque ita, ut convenit, usa est, non etiam locando domum pensionem redegit: referri quæstionem, quasi plus domus redigeret, si locaretur, quam usurarum legitimarum ratio colligit, minime oportet. † Licet enim uberiore sorte potuerit contrahi locatio: non ideo tamen illicitum fœnus esse contractum, sed vilius [49] conducta habitatio videtur.

De pœna inserta in contractu mutui.

15. Imp. GORD. A. Claudio.

CUm allegas uxorem tuam ea conditione mille aureorum [numero] quantitatem sumpsisse, *Ut si intra diem certum debito satis non fecisset, cum* [50] *pœna quadrupli redderet, quod accepit:* juris forma

1 Paul. 2. *sent.* 14. §. 1. excipe *l.* 4. J. *h. t.* usuræ ex pacto (hoc est, sine stipulatione promissæ) solutæ repeti non possunt: nec in sortem a creditore computentur. *Synops. Basil. c.* 47. 3. Harm. 7. §. 14. Quæ verba intelligenda sunt de legitimis usuris: nam illicitæ usuræ in sortem computantur. *Scholiastes Syn. d. c.* 47. *l.* 26. §. 1. *in fin.* J. *h. t.* 2 Nuda conventio parit usurarum solutarum retentionem, & ad usuras solutas retinendas sufficit. *l.* 26. *ff. de cond. indeb.* 3 Non modo sortis, sed usurarum causa pignus potest retineri. Retinere pignus possum mihi traditum in usuras nudo pacto mihi promissas. 4 Ratio dubitandi sumpta ex *l.* 1. *l.* 3 *supr. h. t.* 5 Ratio decidendi. *l.* 22. J. *h. t.* 6 Pactum de usuris traditioni pignoris adjunctum, ad usuras petendas valet. *l.* 48. *ff. de pactis.* Conventione nuda promissæ usuræ non exiguntur. *l.* 3. J. *h. t.* promissis nudo pacto, & eo nomine pignore dato seu obligato, pignus usurarum ita promissarum nomine retineri potest, etiam si pignus debito vilius sit. *Synops. h. t. c.* 47. *& ibi* Anatolius *Scholiastes. l.* 11. §. 3. *ff. de pign. act.* adde *l. ult. infr. debitorem venditionem pignoris.* atque ita multa possunt per retentionem servari, quæ peti non possunt. Alex. *ad l. non solum.* 8. §. *mortu.* 6. *ff. de novi operis nunciat.* Garzias *ad l. idem.* 25. §. 2. *ff. de pact.* 7 Casus diversus a superiore. 8 Id est, post tempus contractus. 9 Id est, cum pignus contraheretur in sortem duntaxat. Agitur enim hic de chirographariis usuris. Usuræ chirographariæ sunt, cum pignus contractum est in sortem duntaxat. Hæc taxatio si defuerit, pignus datum ὑπὸ κεφάλαιον sortis ratione (capitale Itali vocant, quod Galli *le sort principal*) tacite quoque usuris subjicitur. Harmenopul. *apud* Cujacium 5. *observat.* 28. 10 Usura, sortis adjectio, ut hic, incrementum. *l.* 28. *in fin.* J. *h. t.* Hujusmodi augmentum non ex ipsa pecuniæ substantia (sicut fœtus ovium, aut partus ancillæ) sed ex usu rei oritur. vid. *l.* 34. *ff. h. t.* Ædificii urbani, & mobilium rerum merces usura dici potest, sed hujusmodi tamen ut sorti rei locatæ semper aliquid depereat: in mutuo vero non idem. 11 Minimas usuras qui per certos annos sciens accepit, tacite fatetur majores sibi non deberi. Imo non fatetur. *l.* 16. *ff. de in rem verso.* 12 Vide *l.* 8. J. *h. t. l.* 13. *ff. h. t.* 13 Et ita remissio tacita aliquando valet, ut hic: quæ alias tacita non valeret: *ut l.* 37. *ff. de pact.* nec ad præstandas majores obligatur. *l.* 102. *in fin. ff. de solut. & liberat.* 14 Id est, spatio triennii. *argum. l.* 1. J. *de fideicommiss.* vult enim Bald. hanc particulam veram esse in triennio, vel saltem in decennio vel vicennio. Harm. ita hanc legem exponit 3. *tit.* 7. §. 9. Qui ex liberalitate longo tempore (ἐπὶ πολὺν χρόνον) usuras non petiit, non recte superioris temporis usuras exigit: adde 2. *Feud.* 2. §. 1. *l.* 1. J. *de fideicommiss.* 15 Quincunx usura. *l.* 17. *ff. h. t. Cinq pour cent.* estque ducentesima quadragesima pars sortis: unde sorti exæquatur in 240. mensibus, sive viginti annis. vid. Molin. *in tract. de usur. n.* 53. 16 Vide Zanger. *de except. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 105. Ans. 17 Alias nudum propositum offerendi non excusat. *l.* 2. J. *h. t.* 18 In publico, vel æde sacra. *l.* 19. J. *h. t.* plus est deponere quam offerre. Est enim ordine hoc prius tempore: illud posterius. Porro non hic agitur de oblatione verbali, quæ non est ad petendas usuras efficax: nec de reali, nuda tamen, sed de ea quæ duo habet adjuncta: puta quæ facta fuit coram testibus & re ipsa, & quam secuta sit in publicum vel ædem sacram depositio. Aliter Molin. hæc explicat *quæst.* 39. *de usur. num.* 297. 19 Hoc scil. modo, de quo hic agitur, quemque superius explicavi. 20 Nota cautionem debitori utilem ad evitandas usuras. 21 Hoc est, καὶ τὸ χρέος, καὶ τὴν τόκων ἐπιζήτησιν, & sortem & usurarum stipulationem. *Synops. h. t. c.* 51. 3. Harm. 7. §. 15. 22 Ἐπί τινα χρόνον, per aliquod tempus. Harmen. *ibid.* Quod aliquando factum est, in perpetuam non trahitur necessitatem, *l.* 28. J. *de pactis.* Quod longo tempore factum est. *l.* 6. *ff. h. t.* aut per multos annos. *l.* 13. *ff. h. t.* trahitur, & quidem adversus fiscum. *l.* 5. J. *h. t. ibi, secundum quod.* Et ita non continuo usuras promisisse intelligitur, qui eas aliquando solvit. Nec a solutione brevis temporis, ad perpetuam promissionem & obligationem infertur. Minimum tempus non est modus adquirendæ obligationis. *l.* 44. §. 1. *ff. de obl. & act.* 23 Οὐ ποιεῖ πρόκριμα τῷ χρεώστῃ, nullum faciunt debitori præjudicium. *Syn. & Harm. d. loco.* 24 Creditori. 25 *l.* 40. *ff. de rebus cred. Syn. d. c.* 47. 26 *l.* 1. §. 3. *ff. de pign. & hypoth. l.* 17. *ff. h. t.* 27 I. e. Minores. 28 Puto legendum *ac per hoc recessisse eum a majorum præstatione*, ut sit sensus, cui ex eodem contractu minores vel majores usuræ debentur, si minores eligit, majores tacite remisisse intelligitur; si non ita legendum est, saltem legis sententia huc refertur. 29 Hanc particulam legit Haloander: legerunt & veteres optimo sensu, si debitor minores usuras tempore congruo obtulit, cursum majorum evitat. 30 Mora tutoris pupillo nocet. 31 Id est, in nullas usuras, sive minores dicas, sive majores. *l.* 7. §. 2. *ff. de minorib.* 25. *ann.* Goth. Confer. *l.* 6. *& l.* 19. *hoc tit.* Zanger. *de exception. part.* 3. *cap.* 2. *n.* 154. Ans. 32 Id est, per partes, diversis temporibus, per intervalla temporum. *l.* 29. *l.* 30. J. *h. t.* 33 Id est, non concurrunt, nec in duplum computantur. Hodie imputantur. *Novell.* 121. & 138. Cætera ad hanc legem vid. apud Alciat. 1. *parerg.* 33. Molin. *n.* 46. 47. *de usur.* Hot. 2. *de usur.* 16. 34 Lex vetus fuit, etiam Ægyptiorum, *teste Diodor.* 2. ne creditor κεφάλαιον, id est, caput aut sortem, majorem faceret duplo. Idem Romani vetuerunt exigi usuras ultra duplum, in quo (duplo scil.) simplum inerat, ita ut cum usuræ semel ad quantitatem sortis ascendissent, non exigerentur. Hinc illud Harmen. 3. *tit.* 7. §. 6. τῶν τόκων τὸ κεφάλαιον διπλασιαζόντων ὁ τόκος παύεται. Usurarum sortem duplicantium usura cessat. vid. Molin. *d. l. n.* 43. Et ita duplum illud est alterum tantum sorte amplius. *l.* 26. §. 1. *ff. de cond. indeb. l.* 4. *in fin. ff. de naut. fœn. Edict.* 9. *l.* 27. *in fin. l. pen. l. ult.* J. *h. t. l. ult.* J. *de fidejuss. & mand.* idque licitum vocatur *in l.* 19. *infr. de mandat.* adde Cujac. *ad Novell.* 121. Eo pacto Romani moderati sunt usuras, nec permiserunt passim centesimas, indultis levioribus. vid. Molin. *ibid.* ita quoque iidem id quod interest moderati. *l. unic. infr. de sententiis, quæ pro eo quod interest.* 35 *Usuræ exiguntur*, in vulgatis ita legebatur. 36 A debitore scil. de oblatione vid. *l.* 9. *infr. de solut.* 37 *Sibi in jure*, quidam ita legunt. 38 Ἀντίχρησις solvitur oblatione debiti, hoc est, debitor sortem & usuras creditori offerendo efficit, ut creditor jus suum ἀντιχρήσεως amittat: hoc est, ut ne fructus pignoris suos faciat. Quid si eos percepit? exonerabitur sortis debitum. de antichresi adde *l.* 14. *l.* 17. *infr. h. t. l.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth. l.* 6. *supr. quod cum eo. l.* 33. *ff. de pign. act.* 39 Ἀντίχρησιν sola oblatio solvit, ut hic: non usuras. *l.* 6. J. *h. t.* vid. *l.* 2. J. *de pact. pign.* 40 Cur ita? quia post non acceptam debiti solutionem, bona fide prædii alieni fructus suos facere non potest. 41 Pro fructibus aridis usuras pacisci licet, sed & pro liquidis. *l.* 23. *infr. h. t.* quin & pro veste. *l.* 25. J. *h. t.* Et breviter pro fructibus mutuo datis etiam usura potest ex pacto peti. *Synops. h. t. c.* 54. Harm. *h. t. c.* 23. 42 Atqui pecuniæ usuræ non debentur, nisi ex stipulatione. *l.* 3. J. *h. t.* suo jure id receptum? διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν. *Synops. Basil. h. t. cap.* 66. 3. Harm. 7. §. 24. ob incertum & inconstans frugum pretium. *l.* 17. *infr. h. t.* quod etiam efficit, ut majores stipulemur usuras in frugibus, quam in pecunia. vid. *l.* 23. J. *h. t.* 43 *l.* 32. §. 2. *ff. de usur.* veluti locati. *l.* 54. *ff. locati.* 44 Negotiorum gestorum actio bonæ fidei est: ideoque in ea usuræ exiguntur. *l.* 24. J. *h. t. l.* 19. §. 4. *l.* 31. §. 3. *l.* 37. §. 1. *ff. de negot.* 45 Vid. *l.* 3. *vers. si enim novatur.* J. *de usur. rei jud.* 46 *l.* 1. §. 2. *in fin. ff. h. t.* adde *l.* 1. J. *de sent. quæ sine certa quantitate.* 47 Est ea ἀντίχρησις, de qua vid. *l.* 17. J. *h. t. l.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth.* 3. Harm. 5. *c.* ἀντιχρήσεως. Antichresis, estne idem quod emptio redituum: cujus fit mentio *in c.* 1. & 2. *ext. de empt.* Hot. 2. *obs.* 1. negat. movetur, quod ibi creditor fundum pro domino possidet, ejusque periculo sit, hic non sit. 48 Vice usurarum permissum est mihi abs te tuas ædes habitare. Sed ablocavi, & plus redegi ex mercede quam legitimus modus usurarum ferret; quid juris? quod amplius erit, sorti imputabo, ut hic. sumpto argumento a contrario sensu. adde 3. Harm. 5. *c.* περὶ ἀντιχρήσεως. Quid si habitavi? servatur conventio, etiamsi pluris ea habitatio censeatur, quam modus legitimus usurarum fuerit, & vilius mihi conducta domus potius, quam illicitum fœnus contractum videbitur. *infr. h. t. ibi, licet enim.* adde Cujac. 8. *obs.* 17. vid. tamen *l.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth.* 49 Quid si deceptio fit ultra dimidium justæ mercedis? Accursius putat debitori competere remedium legis 2. J. *de rescind. vendit.* Idem sentit Papon. 3. *Not.* 9. *c. de restit. contre louages & conductions.* adde *l.* 3. J. *comm. utriusque jud.* facit *l.* 16. *in fin. ff. de minor.* 25. *ann. l.* 2. *l.* 22. *in fin. ff. locati. d. c.* de quo tamen dubitari potest propter incertam spem mercedum, quæ solent decrescere: moveor *l.* 17. & 23. J. *h. t.* adde glossam Accursii, ubi scripsi in *l.* 14. J. *de locato.* 50 Vid. quæ notavi ad *l.* 98. §. 5. *ff. de solut. & liber.* adde *l.* 44. *ff. hoc tit. l.* 13. §. 26. *ff. de act. empt.*

non patitur, legem contractus istius ultra [1] pœnam legitimarum usurarum posse procedere.

De pecunia data, ut triticum reddatur.

16. Idem A. Sulpitio.

CUm non frumentum, sed pecuniam fœnori te accepisse alleges, *Ut* [2] *certa modiatio* [3] *tritici præstaretur; ac, nisi is modius sua die fuisset oblatus, mensurarum additamentis* [4] *in* [5] *fraudem legitimarum usurarum gravatum* te esse contendas: potes adversus improbam petitionem competenti uti defensione.

De agricolis.

In AUTHENT. nullum credentem agricolæ tenere. §. Sancimus itaque. coll. 4. tit. 13. al. 5. Nov. 34. c. 1.

AD hæc, qui fructus aridos [6] *credidit agricolæ, vel pecuniam in unoquoque anno pro* [7] *modio* [8] *octavam partem modii, pro solido* [9] *siliquam unam* [10] *usurarum nomine accipiens: terram, sive aliquid aliud, quod pignori accepit: omnimodo reddat. Si aliquid præter hoc commiserit: ab actione cadat omnimodo.*

De fructibus.

17. Imp. PHILIPPUS A. Euxeno.

SI [11] ea lege possessionem mater tua apud creditorem suum obligavit, *Ut fructus* [12] *in vicem usurarum consequeretur*, obtentu [13] majoris percepti emolumenti propter [14] incertum [15] fructuum proventum rescindi placita non possunt.

De solutione indebiti.

18. Idem A. Castori.

INdebitas usuras, etiamsi ante sortem solutæ non fuerint, ac [16] propterea minuere eam non potuerint, licet post sortem redditam creditori fuerint datæ [17], exclusa [veteris] juris varietate repeti posse, perpensa ratione firmatum est.

De oblatione debiti & consignatione & depositione.

19. Idem A. Hyreniæ.

ACceptam mutuo sortem cum usuris licitis creditoribus post contestationem offeras: at si non suscipiant, consignatam in publico depone [18], ut cursus legitimarum usurarum inhibeatur: in hoc autem casu publicum [19] intelligi oportet, vel sacratissimas ædes [20], vel ubi competens [21] judex super ea re aditus deponi eas disposuerit: Quo subsecuto, etiam [22] periculo debitor liberabitur, & jus pignorum tolletur: cum Serviana [23] etiam actio manifeste declaret, pignoris inhiberi persecutionem, vel solutis pecuniis, vel si per creditorem steterit, quominus solvantur. † Quod etiam in trajectitiis [24] servari oportet. † Creditori scilicet actione utili ad exactionem earum, non adversus debitorem, nisi forte eas receperit, sed contra depositarium, vel ipsas competente pecunias.

De mandatoribus & fidejussoribus.

20. Idem A. Ælio.

COnstitutionibus [25] sacris, quæ ultra certum modum usuras fœnebris pecuniæ exigi prohibent, mandatoribus [26] etiam vel fidejussoribus subventum est: quibus quasi mandator vel fidejussor conventus uti potes.

De soluto simpliciter.

21. Idem A. Chresimo.

SI usuras præstari pignore dato convenerat; & in continenti numeratione facta, postea vel ante [27], propter quod debitum solutionem feceras, non [28] designasti, habuit [29] creditor in usuras tibi accepto ferendæ solutæ quantitatis facultatem.

De pignoribus.

22. Idem A. Carino.

PIgnoribus quidem intervenientibus, usuræ, quæ sine [30] stipulatione peti non poterant, pacto [31] retineri [32] possunt [33]. † Verum hoc jure constituto, cum hujusmodi nullo interposito pacto tantummodo certæ summæ præstari pœnam convenisse proponas: nec peti, nec retineri quicquam amplius potest, & ad pignoris solutionem urgeri te disciplina juris perspicis.

De oleo & quibuscunque fructibus.

23. Idem A. Jasoni.

OLeo [34] quidem, vel quibuscunque fructibus mutuo datis incerti [35] pretii ratio, additamenta [36] usurarum ejusdem materiæ fusit admitti.

De negotiis gestis.

24. Idem A. Glauciæ.

SI mater [37] tua major annis constituta, negotia [38], quæ ad te pertinent, gesserit: cum omnem [39] diligentiam [40] præstare debeat, usuras [41] pecuniæ tuæ, quam administrasse fuerit comprobata, præstare compelli potest.

De auro, argento, veste.

25. Imp. CONSTANT. A. ad populum.

PRo [42] auro & argento & veste facto chirographo licitas solvi, vel promitti usuras jussimus.

De præscriptione triginta, vel quadraginta annorum.

1. De modo usurarum.

26. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P.P.

EOs [43], qui principali actione per exceptionem triginta [44], vel quadraginta annorum, sive personali, sive hypothecaria ceciderunt, [jubemus] non posse super usuris, vel fructibus præteriti [45] temporis aliquam movere quæstionem, dicendo ex iisdem temporibus eas velle sibi persolvi, quæ non ad triginta, vel quadraginta præteritos annos referuntur, asserendo singulis annis earum actiones nasci: principali [46] enim actione non subsistente, satis supervacuum est super usuris, vel fructibus adhuc Judicem cognoscere. §. 1. Super usurarum vero quantitate etiam generalem sanctionem facere necessarium [47] esse duximus, veterem duram, & gravissimam earum molem ad mediocritatem deducentes. Ideoque [48] jubemus, Illustribus [49] quidem personis, sive eas præcedentibus, minime licere ultra tertiam [50] partem centesimæ usurarum nomine in quocunque contractu vili, vel

1 Pœnam ultra legitimum usurarum modum stipulari non licet. 2 Nota de reditu specierum in vino, frumento & similibus data pecunia constituto. Quæritur, qua proportione talis reditus sit emendus? dic ut in proxima Authentica. 3 Id est, certus modiorum numerus. 4 *l.* 23. *infr. h. t.* id est, majorem moderationem. *l.* 44. *ff. h. t.* 5 Sive usura consistat in nummis, sive in fructibus, ut hic, utrobique ad legitimum modum reducetur. vid. Molin. *q.* 2. *de usur. n.* 68. *& q.* 21. *n.* 215. Papon. 12. *Arrest.* 17. *n.* 17. 6 Fructus aridi, ut messes. *l.* 1. *C. Theod. h. t. l. ult. in fin. ff. de jure fisci. l.* 15. *C. Theod. de suscept. lib.* 10. *tit.* 70. An idem in liquidis? idem *d. l.* 1. *l.* 23. *infr. h. t.* Goth. Vid. hic Rittershus. in *Expos. Novell. part.* 3. *cap.* 10. Ans. 7 Nota proportionem, ad quam redigenda est emptio reditus frumentarii. Hodie puto considerandam esse rationem usurarum receptarum in singulis provinciis. Exemplum sumam a Gallis, apud quos regiis constitutionibus reditus constituitur ad assis analogiam, *au denier douze.* Itaque modio valente decem aureos, reditus modii emendus erit 120. Quid si modii valor augeatur? Molinæus 21. *q. de usuris, num.* 122. Papon. 12. *Arrest.* 17. *c.* 17. refert debitori electionem permitti usuras ut solvat in pecunia, refertque ita judicatum in Curia. Admitto equidem favendum esse reo debitori: sed si ita est, æquitas etiam postulabit, ut decrescente modii pretio, creditori justa merces suppleatur a debitore, ne alioquin claudicet contractus. Sed ea de re dicam *l. seq. infr. h. t.* 8 Modio mutuo dato debitori usuræ vice, octavam modii partem, id est, duos sextarios, possum ab eo stipulari, eaque usura est centesima, ut constat ex *Nov.* 130. *c.* 4. 6. 9 Id est, pro singulis solidis 72. solidi libram auri efficiunt. 3. Harm. Zonar. *c.* 17. *Synod. Nicenæ.* 10 Triens est usura, unam siliquam pro solido dari: tertia centesima, quæ trecentis mensibus aut vigintiquinque annis sorti exæquatur, paritque annuatim quatuor in centum, *quatre pour cent.* de qua vid. *Novell. Leon.* 83. Cujac. tamen ad *Nov.* 32. refert, ob centenos aureos recte stipulari solidos quatuor, & siliquas quatuor: successisse postea majorem usuram, quæ reddat solidos sedecim, semissem & quatuor siliquas, id est, in libram auri solidos duodenos, & Nicephorum usuræ nomine exegisse in singulas auri libras duodecim solidos, id est, in singulos solidos quatuor siliquas ad rationem scil. centesimæ 11 *l.* 11. §. 1. *ff. de pign. & hypoth.* 12 Dixi ad *l.* 14. *supr. h. t.* 13 Id est, prætextu. Ratio dubitandi pro debitore hinc sumitur. 14 Ratio decidendi hinc sumitur pro creditore. Et tamen aliter judicatum fuisse a Senatu Parisiensi ostendi ad *l.* 16. *supr. h. t.* Sic sentio in omni venditione (ergo & reditus annui de quo hic agitur) spectandam esse quantitatem justi pretii, quod est tempore venditionis. *l.* 8. *in fin. C. de rescind. vendit.* eoque admisso non esse quærendum, an res empta creverit, an decreverit: cum certo jure periculum & detrimentum rei ad emptorem pertineat. 15 *l.* 23. *infr. h. t.* Goth. Casum *h. l.* non esse usurarium probat Joann. Aurpach. *l.* 1. *epist. juridic.* 10. Ans. Adde Cujac. *lib.* 3. *observ. cap.* 35. *& quæ not. supr. l.* 6. *h. t.* S. L. 16 Usuræ indebitæ solutæ ante sortem, sortem minuunt. Quid si post sortem solutam dependæ fuerint? stricto jure, sortem minuere non possunt (quia sors soluta hic proponitur) ex æquo tamen repeti possunt: nam sorte soluta nihil superest in quod imputentur. *Synops. h. t. c.* 61. 3. Harm. 7. §. 6. 17 Olim plerisque visum fuit: Usurarum indebitarum condictionem non esse, licet omnes imputationem admitterent. Hodie & imputatio admittitur, & indebitæ solutæ condicuntur, *l.* 26. §. 1. *ff. de cond. indeb.* 18 Molinæus *numer.* 296. 297. *de usur.* negat hanc depositionem requiri. Movetur lege 122. §. 5. *in fin. ibi, jure. ff. de verb. oblig.* de qua quæstione *ibi* dixi: *ut & in l.* 6. *C. h. t.* quo nomine reprehenditur a Cujacio ad *d.* §. 5. Eandem sententiam probat etiam Rolandus a Valle 1. *cons.* 33. *num.* 34. *& seq. & ib. cons.* 63. *num.* 24. *& seq.* Sunt & alii loci juris apertissimi in *l.* 2. *l.* 6. *supr. h. t. l.* 7. *l.* 18. *in fin. ff. h. t. l.* 10. *C. de pign. act. l.* 9. *C. de solutionib. l.* 28. *in fin. ff. de administ. & peric. tut. l.* 82. *ff. de cond. & demonstr.* Aliter Cujacius *d. loco*, distinguit usuras ex mora oblatione sisti, non eas quæ ex stipulatione debentur. 19 In publico deponere, est in æde sacra, vel ubi judex, super ea re aditus, deponi jussit. 20 Antiquum fuit, res communes, *l.* 4. *in fin. ff. famil. ercisc.* vel alterius, *ut hic.* vel proprias in æde sacra deponere. hinc *Euclio* in Aulularia act. 4. *Tu modo cave, cuiquam indicassis aurum meum esse istic fides.* & post: *Fides etiam atque etiam, nunc salvam ut aulam abs te auferam. Tuæ fidei concredidi aurum, in tuo loco & fano modo est situm.* 21 Publicus locus fit etiam judicis dispositione: publicus, id est, tutus. vid. *l.* 9. *C. de pignor. action.* 22 Depositione legitima sortis & usurarum facta, debitor usurarum cursum sistit: periculum rerum a se depositarum in creditorem suum transfert: & pignoratitiam adquirit. *ut hic.* antichresim liberat. *l.* 11. *C. h. t.* Goth. De depositionis solennitate & effectu vid. Censur. Forens. nostram *lib.* 4. *c.* 35. S. L. 23 De qua vide §. 7. *Instit. de act.* 24 Id est, nauticis. 25 Usuris modus jure injectus est. vide quæ scripsi ad *l.* 1. §. 3. *in fin. ff. de pign. & hypoth.* 26 Beneficia debitoribus usurariis concessa ad eorum mandatores & fidejussores pertinent. 27 Hinc colligit Cuj. 13. *obs.* 31. ante gestum negotium autoritatem interpositam tutoris valere. 28 Vide *l.* 1. *infr. & l.* 5. §. 2. *ff. de solut. & liber.* 29 Sortem & usuras debens, si quas quantitates creditori solvit, nulla facta mentione, quo nomine solveret, facultatem habet creditor, si velit, in usuras duntaxat acceptam facere solutionem. *Synops. h. t.* 1. *c.* 64. ubi tamen Scholiastes speciem hanc ponit, sortem & usuras debentem, si libras sexaginta solvat: pro rata quadraginta quidem in sortem; viginti vero in usuras dedisse videri. 30 Usuræ sine stipulatione ex nudo pacto non petuntur, nisi & pignora in usuras ex pacto dandas detineantur: Tunc enim & sine stipulatione petuntur, *ut hic.* Scholiastes *Synops. Basil.* 7. *tit.* 6. *ex lib.* 26. *tit.* 5. *cap.* 1. *l.* 3. *l.* 4. *C. h. t. l.* 17. §. 4. *ff. h. t. l.* 24. *ff. de præscript. verb.* 31 *l.* 4. *C. h. t.* vide Cujac. 8. *obs.* 17. *in fin.* 32 Per exceptionem doli. *l.* 2. *C. de fiscal. usur. lib.* 10. *tit.* 8. 33 Modo legitimæ sint. *l.* 27. *in fin. infr. h. t.* 34 Id est, re liquida, idem in aridis, dixi ad *l.* 12. *C. h. t.* 35 Fructibus mutuo datis, licet & majores usuras stipulari, διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν, propter incertitudinem fructuum. *Synops. Basil. h. t. c.* 66. 3. Harm. 7. §. 24. Quippe nonnunquam accidit, ut mutuans centum modios, pactus sim usuræ nomine modium unum in singulos menses, quod usura est centesima: sed fortasse quum mutuo darem centum illos modios, uno aureo modii sex veniebant: verum fertilitate sequuta quum debitor menstruum mihi modium solvit, non centesimam, sed bessem mihi centesimæ præbet. Hoc enim facit æstimatio modii, propter insequutam annonæ copiam. Ita Scholiast. *Synops. illo loco.* dixi ad *l.* 17. *C. h. t.* 36 *l.* 16. *C. h. t.* Cujacius hinc colligit fruges recepisse immodicas usuras, adde *Novell.* 32. vel supra legitimum modum, idque confirmat Græcorum autoritate, 3. *obs.* 35. sed ea de re dixi ad *l.* 17. *supr. h. t.* 37 Paul. 1. *sent.* 4. §. 4. 38 Vide *l.* 13. *supr. h. t.* Paul. *ibid.* §. 3. §. 4. 39 Paul. 1. *sent.* 4. §. 4. dixi ad *l.* 3. §. 9. *ff. de negot. gest.* 40 Paul. *ibid.* §. 1. 41 *d. l.* 13. *d.* §. 3. *l.* 37. §. 1. *ff. h. t.* 42 Omne debitum rei fungibilis sive mutuabilis, nudo pacto, vel consensu, sive in continenti, sive ex quocunque intervallo, mutuum fieri, seu in mutuum converti potest. Molin. *de usur. quæst.* 85. *num.* 660. *l.* 12. *supr. h. t. l.* 8. *C. si cert.* 43 Sors (ut & omnis actio personalis) tricennio præscribitur. An & sortis usuræ? ὁ ἥρως πατρίκιος, id est, heros Patricius, putabat non præscribi tricennio, quum usuræ singulis annis nascantur. Nam triginta annis sortis ratione elapsis, inveniuntur usurarum nomine anni primi, decurrisse anni 29. secundi anni, 28. atque ita deinceps. Idem in fructibus censebat Patricius: verum hæc sententia reprobatur hac constitutione: cum sit absurdum, causa principali sortis sublata, de usuris & fructibus contendere. *Syn. Bas. h. t. c.* 69. 44 Triginta vel quadraginta annis personales, & hypothecariæ actiones intereunt. *l.* 2. *C. de pecunia constituta.* 45 *l.* 28. *infr. h. t.* 46 Dixi ad *l.* 129. *in fin. ff. de reg. jur.* actione sublata iniquum est de usuris, & fructibus contendere. 47 Fuerat enim incertus usurarum modus ante Justinianum: vide Molin. *de usuris, n.* 42. aut saltem gravis & durus. idem *n.* 54. 48 Usurarum ratio ex hoc loco ex Scholiaste Synopseos 23. *tit.* 32. *c.* 47. *&* 69. & Harm. 3. *tit.* 7. §. 25. hæc est a Justiniano definita: In illustribus τρίτον ἑκατοστῆς triens centesimæ, id est nummi quatuor ἐπὶ τῶν τραπεζιτῶν καὶ τῶν ἄλλων πραγματευτῶν (qui ἀργυροπρᾶται, καὶ ἔμποροι Harmenopulo *d. loco*) id est, in nummulariis cæterisque negotiatoribus δίμοιρον ἑκατοστῆς, bes centesimæ, hoc est, nummi octo. Legitima vero usura eorum qui διαποντίως τοκίζουσι ἤτοι ἐπικινδύνως: usuram trajectitiam nauticam, periculo suo capiunt ἑκατοστιαῖος est centesima: hoc est, nummi duodecim: In aliis hominibus ἡμιεκατοστιαῖος centesimæ semis, id est, nummi sex. Quid Ecclesiæ & venerabilis domus? quadrantem centesimæ, id est, nummos tres accipiunt. Scholiastes *d. loco.* & præstant. Harm. *d. loco.* 49 Illustribus personis trientes usuræ permissæ. *ut hic, & C. h. t. ibi, ultra tertiam partem*, & sic minores. Sic, trientarium fœnus etiam Alexander exercuit, *teste Lampridio:* quod tamen legis modo non dicitur. Fiscus enim medias stipulatur, semisses scil. *l. ult. C. de fiscalib. usuris. lib.* 10. *tit.* 8. Civitatum quoque usuræ sunt semisses. *l.* 10. *ff. de pollic.* Ecclesiasticæ vero quadrantes. vide *Novell.* 7. 50 Tertia pars centesimæ; triens usura; *Quatre pour cent*; *l.* 3. §. 1. *ff. de contraria tutelæ.*

maximo

maximo stipulari. † Illos vero, qui ergasteriis [1] præsunt [2], vel aliquam licitam [3] negotiationem gerunt, usque ad bessem [4] centesimæ [usurarum nomine in quocunque contractu] suam stipulationem moderari. † In trajectitiis [5] autem contractibus, vel specierum fœnori dationibus, usque ad centesimam [6] tantummodo licere stipulari, nec eam excedere; licet veteribus legibus hoc erat concessum. † Cæteros [7] autem [omnes] homines dimidiam [8] tantummodo centesimæ usurarum [nomine] posse stipulari [9]: & eam quantitatem usurarum etiam in aliis omnibus casibus nullo modo ampliari, in quibus citra [10] stipulationem [11] exigi usuræ solent. Nec [12] liceat judici memoratam augere taxationem [13], occasione consuetudinis [14], in regione obtinentis. † Si quis autem aliquid contra modum hujus fecerit constitutionis, nullam penitus de [15] superfluo habeat actionem: sed & si acceperit, in [16] sortem hoc imputare compelletur. † Interdicta [17] licentia creditoribus ex pecuniis fœnori dandis aliquid detrahere, vel retinere siliquarum [18] nomine, vel sportularum [19], vel alterius cujuscunque causæ gratia. Nam si quid hujusmodi factum fuerit, principale debitum ab initio ea quantitate minuetur [20], ut tam ipsa minuenda pars, quam usuræ ejus exigi prohibeantur. † Machinationes etiam creditorum, qui ex hac lege prohibiti majores usuras stipulari alios medios [21] subjiciunt, quibus hoc non ita interdictum est, refecantes jubemus [22], si quid tale fuerit attentatum, ita usuras computari, ut necesse esset, tanquam si ipse, qui alium interposuit, fuisset stipulatus: in quo casu sacramenti [23] etiam illationem locum habere sancimus [24]. Dat. *Constantinop.* JUSTINIANO CONS.

Ne usuræ ultra duplum currant.

27. Idem A. Mennæ P. P.

DE usuris, quarum modum jam [25] statuimus, pravam [26] quorundam interpretationem penitus removentes, jubemus, etiam eos, qui ante eandem sanctionem ampliores quam statutæ sunt, usuras stipulati sunt, ad modum eadem sanctione taxatum ex [27] tempore lationis ejus suas moderari actiones: scilicet illius temporis, quod ante eam defluxit legem, pro tenore stipulationis usuras exacturos. §. 1. Cursum insuper usurarum ultra [28] duplum minime procedere concedimus: nec si pignora [29] quædam pro debito creditori data sint, quorum occasione quædam veteres leges & ultra duplum usuras exigi permittebant. Quod [&] in bonæ fidei judiciis, cæterisque omnibus casibus, in quibus usuræ exiguntur, servari censemus.

Ne usuræ in sortem convertantur, & ne usuræ usurarum exigantur.

28. Idem A. Demosthéni P. P.

UT nullo modo *usuræ* [30] *usurarum* a debitoribus exigantur, & veteribus quidem legibus constitutum fuerat, sed non perfectissime cautum: si enim usuras in sortem redigere fuerat concessum, & totius summæ usuras stipulari: quæ differentia erat debitoribus, a quibus revera usurarum usuræ exigebantur? hoc certe erat *non rebus* [31], *sed verbis tantummodo legem ponere.* Quapropter hac apertissima lege definimus, nullo [32] modo licere cuiquam usuras præteriti temporis, vel [33] futuri [34] in sortem redigere, & earum iterum usuras stipulari. Sed & si hoc fuerit subsecutum: usuras quidem semper usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire: sorti autem antiquæ tantummodo incrementum usurarum accedere.

De duplo.

29. [35].

USuræ [36] minutim [37] & per [38] intervallum solutæ cum duplo compensantur, etiam si non universæ simul [39] solutæ fuerint.

30. [40].

PRæsens [41] constitutio declarat, usuras particulatim [42] solutas, duplum debitæ sortis non excedere. Verum excipitur id quod positum est in 160. *Nov. de usuris pecuniæ municipalis* [43].

TIT. XXXIII.

DE [44] NAUTICO [45] FOENORE.

Pro tempore, quo creditor suscepit periculum trajectitiæ pecuniæ, usura centesima debetur: pro tempore sequenti, communis. Salic.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Honorato.

TRajectitiam [46] pecuniam, quæ periculo [47] creditoris datur, tamdiu [48] liberam esse ab observatione communium usurarum, quamdiu navis ad portum adpulerit, manifestum est.

Pecuniæ nauticæ debitoris est periculum, nisi aliud fuerit conventum. Salic.

2. Iidem AA. Chosimaniæ.

CUm dicas te pecuniam ea lege dedisse, *Ut in sacra* [49] *urbe tibi restitueretur*, nec [50] incertum periculum, quod ex navigatione maris metui solet, ad te [51] pertinuisse [52] profitearis, non est dubium, pecuniæ creditæ ultra licitum [53] [modum] te usuras exigere non posse.

Qui suscepit in se periculum navigationis, intelligitur in se suscipere periculum fortunæ, non culpæ debitoris. Bald.

3. Iidem AA. Juniæ.

CUm proponas te nauticum fœnus ea conditione dedisse, *Ut post navigium, quod in Africam dirigi debitor adseverabat, in Salonitanorum* [54] *portum nave delata, fœnebris pecunia tibi redderetur*, ita ut navigii duntaxat, quod in Africam destinabatur, periculum susciperes; perque vitium debitoris, nec loco quidem navigii servato, illicitis [55] comparatis mercibus, quæ navis continebat, fiscum occupasse; amissarum [56] mercium detrimentum, quod non ex marinæ tempestatis discrimine, sed ex præcipiti avaritia, & incivili debitoris audacia, accidisse adseveratur, adscribi [tibi] juris publici ratio non permittit.

Debitor generis liberatur per interitum, si creditor suscipit in se periculum; alias non. Bald.

4. Iidem AA. Eucharisto.

TRajectitiæ quidem pecuniæ, quæ [57] periculo creditoris mutuo datur, casus, antequam ad destinatum locum navis perveniat, ad debitorem non pertinet. [Sine] hujusmodi vero conventione, infortunio naufragii debitor non liberabitur.

TIT. XXXIV.

DEPOSITI [58], VEL CONTRA.

De rei interitu, de concurrentibus actionibus.

1. Imp. ALEXANDER A. Mesteno.

SI [59] incursu latronum, vel alio fortuito casu ornamenta deposita apud interfectum perierint: detrimentum ad heredem ejus, qui de-

1 Ergasterium, est negotiatio. Præsunt ergasterio trapezitæ, argentarii, & cæteri institores, *l.* 2. *C. de episc. l.* 9. *C. de operibus publ. l.* 2. *C. de met.* Est & locus, ubi opus fit, officina. 2 Justis negotiatoribus terrenis, mediterraneis aut terrestribus, besses, usuræ permissæ. *C. ibi, ad bessem.* Argentariis licet stipulari besses usuras. Inter negotiatores usura legitima bes est. Quin argentariis besses debentur, licet eas non fuerint stipulati. *Novell.* 136. *c.* 4. Quid si negotiari desinant, aut nomen alteri cedant? besses usuræ deberi desinunt. Molin. *ibid. num.* 60. 61. 3 Licita est negotiatio, vel ea quæ vere fœneratitia est, qua funguntur ii, qui nullam etiam aliam exercent. 4 Bes usura est ad centesimam, quod bes ad assem. Besses usuræ sunt duæ partes centesimæ, 150 partem sortis quolibet mense pendens, integram vero sortem 12 annis & 6 mensibus. Annuatim solvuntur 8 in 100 *huit pour cent.* Id fœnus Antoninus Pius exercuit. Jul. Capitol. *in ejus vita.* 5 Usura centesima, non major, maritimis & navigantibus permissa. An centesima dicitur anni ratione, an vero certi duntaxat itineris, quod anno potest esse brevius? prius ait Molinæus *n.* 91. *de usur.* 6 Centesima usura, *douze pour cent*, quæ centesimo mense sortis quantitatem parit, & reddit. Solebant enim veteres in menses, non in annos fœnerari. Plut. *in libell.* περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι. Æschines *adversus Ctesiphontem.* Horat. *Epod. oda* 2. *omnem relegit Idibus pecuniam, quærit Kalendis ponere.* Inde usura menstrua Ciceroni 6. *ad Atticum.* De duplici centesima, vide *l. nihil interest.* 4. §. 1. *ff. de nautico fœnore.* 7 Non illustres, quique non sequuntur, mercaturam terrestrem, vel maritimam, dimidias centesimæ possunt stipulari. Ergo & rustici? Posse videntur, cum hic non excipiantur, quamvis & hi solas trientes possint promittere. *Novell.* 32. Quadrantes quoque excipiuntur ab Ecclesia, Scholiast. 27. *Eclog.* 3. 3. Harmenop. 7. *c.* περὶ καρπῶν. 8 *l.* 2. *in fin. C. de usuris rei jud.* Dimidia centesimæ seu semis usura parit annuatim sex in centum. *Six pour cent.* Senos aureos parit quotannis in centenos. *Theod.* 4. *de act.* 9 Et ita qualitas fœnoris ex qualitate fœnerantis metienda: ut mercator eo pacto possit besses stipulari & capere ab illustri: illustris non possit capere ultra trientes a mercatore. 10 Citra stipulationem & pactum exiguntur usuræ quæ exiguntur propter moram. *l.* 32. §. 2. *ff. h. t.* 11 Stipulationis verbo, Molinæus intelligit omnem conventionem. *ibi, num.* 56. Verum hunc locum autor Synopseos *d. c.* 69. ita accipit, usuras majores accipi non posse ne quidem per retentionem pignorum. *l.* 4. *princ. vers. nec pignora. ff. de nautico fœnore.* Alias usuræ legitimæ non tantum stipulatione interposita promissæ servantur, sed pignoris quoque retentione, licet nudo pacto & citra vinculum stipulationis promissæ. *l.* 4. *C. h. t.* 12 In usuras majores legitimis judex reum condemnare non potest prætextu consuetudinis locorum: hoc est etiamsi consuetudo loci sit usuras majores legitimis præstare. *Syn. d. loco.* 13 Quæ scilicet pertinet ad usuras debitas ex mora, non ad illas, quæ deberi possunt ex superiorum stipulationum aliqua. 14 Sensus est, prætextu consuetudinis usuras ex nuda mora debitas, semisses esse. Tres casus excipe, pupillares. vid. *l.* 1. *C. de usur. pupill.* sociorum. vid. *l.* 4. *C. de ædific. privat.* rei judicatæ. *l.* 3. *C. de usur. rei jud.* 15 Habet tamen citra superfluum, & ita utile per inutile non vitiatur. *l.* 15. *C. h. t. l.* 20. *ff. h. t. l.* 8. *supr. si certum. l.* 26. *in pr. ff. de cond. indeb. l.* 102. *in fin. ff. de solut. & liberat.* Molinæus addit, nullum casum in jure reperiri, in quo propter excessum, vel administrationem illicitam, fœnus totum vitietur, excepto casu singulari. *Novell.* 32. *de fœnor. agric.* vide tamen eundem *q.* 10. *de usur. n.* 139. 16 Usuræ legitimis majores acceptæ, in sortem imputandæ. 17 Creditori non licet a debitore aliquid accipere nomine siliquarum, aut consuetudinis: si quid autem acceperit, id in sortem computabit. 18 Κερατίων ἢ συνηθειῶν, 23. *Ecl.* 3. *c.* 69. Siliqua vigesimaquarta pars solidi. 19 Quas creditores forte stipulabantur dare executoribus pro pecunia exigenda, vel tabellionibus, pro cautione scribenda. 20 Vide Molin. *de usur. quæst.* 13. *num.* 164. 21 Illustris, cui trientes tantum stipulari permittitur, per argentarium, cui licitæ sunt besses: id est, majores, stipulari non potest. hinc collige, Peccari etiam per intercedentem seu interpositam personam. dixi ad *l.* 5. *supr. de legibus.* atque ita, majores usuras stipulari non possumus διὰ μέσου προσώπου per mediam personam. *Synops. d. l.* 22 Hinc colligunt quæstionem, causas & leges usurarum non esse fori (ut vocant) ecclesiastici, sed imperialis. qua de re vide Molin. *quæst. de usur. num.* 70. 71. 23 Vide quæ not. ad *l.* 6. §. 4. *C. de his, qui ad eccles.* 24 Hoc apud autor. Synops. additur, Illos qui tabernis præsunt, vel aliquam negotiationem licitam (quoniam qui illicitam exercent, ut tincturam purpuræ & monetas, etiam puniri debent) exercent ad bessem usque, centesimæ stipulationem suam moderari. 25 i. e. *l.* 26. *supr. h. t.* 26 Ad majores ante hanc legem constitutas, ac promissas usuras, fœneratores non putabant hanc legem pertinere; vult igitur majores ante hanc constitutionem promissas ad modum hac lege præfinitum revocari. 27 Vide Molin. *q.* 10. *de usur. num.* 142. 153. *& quæst.* 16. *num.* 188. Papon. 12. *Arrest.* 7. *num.* 16. adde *Novell.* 73. *c.* 9. *&* 115. *c.* 1. 28 *Nov.* 121. *Nov.* 138. *Nov.* 160. *l.* 19. *C. mandati. l.* 26. §. 1. *ff. de cond. indeb. l.* 4. §. 1. *ff. de naut. fœnore.* 29 In usurarum causis aliquid jure pignoris, & retentionis toleratur, sed intra legitimum modum: vetitis usuris ultra duplum, etiamsi creditor pignoribus acceptis sibi caverit, vide Molin. *de usur. n.* 47. 107. 108. 30 *l.* 20. *supr. ex quib. caus. infam. l.* 26. §. 1. *D. de cond. indeb. l.* 2. §. 5. *ff. de administ. rer. ad civit.* Non est accessio accessionis: ut usus seu usura usus, *ut hic:* pecuniæ usus. *l. ult. ff. de magist. conv. l.* 1. *infr. de fiscalib. usur. lib.* 10. *tit.* 8. fructuum usura, *l.* 15. *ff. hoc tit.* 31 Rebus, non verbis lex imponenda. vid. Molin. *d. loco, n.* 236. Cicero pro *Cæcinna:* Non ex verbis jus pendet, sed verba serviunt hominum consiliis, & autoritatibus. 32 Nec pro futuri temporis usuris, nec pro usuris annorum, qui præterierunt, ullo modo pacisci usuras quis potest: ne quidem, si juxta formam veteribus usitatam fiat. *Synops. Basil. h. t. cap.* 71. 33 Et sic omnis Anatocismus sublatus. Molin. *ibid. num.* 44. Est autem Anatocismus, quoties usura sorti conjuncta alias usuras parit. *l.* 7. §. 12. *l.* 58. §. 1. §. 4. *ff. de admin. & peric. tut.* nec est simplex renovatio, aut continuatio usurarum, quam Plutarchus ἐν ἑλληνικοῖς παλιντοκίαν, Cicer. 3. *ad Atticum* 20. ἀνατοκισμὸν nuncupat. Puto Anatocismum, de quo hic agitur, odio fœneratorum interdici, alias, si novam sortem debitori numerare licet, & ab eo novas alias usuras stipulari, cur non, acceptas ab eodem usuras brevi manu, eidem renumerare sortis instar licebit? ut ex ea pecunia novas usuras præstet. *d.* §. 3. *d.* §. 1. *&* 4. Hoc adjiciendum: Novella Leonis in universum usuras vetari. 34 Licet usuras in futurum accipere. *l.* 57. *ff. de pactis. l.* 2. §. 6. *ff. de doli mali & metus except. l.* 122. *in pr. ff. de verb. oblig.* at eas acceptas in sortem redigere, & iis redactis usuras exigere non licet. 35 *Synopsis d. loco cap.* 72. 36 Leunclavii interpretatio. 37 Κατὰ μικρὸν, adde *Novell.* 121. 38 Καὶ κατὰ χρόνον, hoc est, diverso tempore solutæ. 39 Καθάπαξ, & ὑφ' ἕν. 40 *Synops. d. l. c.* 73. 41 Interpretatio Leunclavii. 42 Κατὰ μέρος. 43 Usuræ in universum currunt in debitis ad municipia pertinentibus; & usuris publicis. Scholiastes *Synopseos d. c.* 73. id est, ultra duplum currunt. 44 *L.* 22. *D.* 2. *Novell.* 106. 110. 45 Seu maritimo. 46 Id est, quæ trans mare vehitur. *l.* 1. *ff. h. t.* διαπόντια χρήματα dicuntur Græcis. *Synopsis Basil. c.* 7. *tit.* 7. *ex lib.* 53. *tit.* 5. *cap.* 1. *& passim* 3. Harmen. 7. §. 20. erat autem fœnus nauticum centesima: ut & si quis fructus credidisset. *d.* §. 20. *Synops. h. t. c.* 15. 47 *l.* 4. *ff. h. t.* aliud in terrena. 48 Non ulterius: discusso periculo maris, die, aut conditione cessis; inter negotiatores bes usura debiti incipit & cessat centesima. vide Molin. *de usuris, num.* 91. Cujac. *d. Nov.* 106. 49 Sacra urbs non est Hierosolyma, ut quidam putant, sed, vel Constantinopolis vel Roma. *arg. l.* 2. *C. quæ res exportar.* 50 Creditor ad quem periculum navigationis non pertinet, usuras majores non accipit. *Synops. Basil. h. t. c.* 18. 51 Creditorem. 52 Ob pactum contrarium scil. 53 Aliis personis sc. ab his quæ mari negotiantur. 54 Σάλων, seu Salona, navale Dalmatiæ Straboni 7. nec enim ad Salonem mediterraneam Bithyniæ hic locus referendus, unde Salonites caseus dictus: vide *Strabonem* 2. 55 Illicitæ merces confiscantur. 56 Si vitio debitoris pecunia nautica confiscata est, creditori non perit in debitorem actio: & merito. Nam etsi maris periculum in se suscepit, casus supervenientes culpa debitoris non recepit. 57 Trajectitiæ seu nauticæ pecuniæ periculo creditoris mutuo dabantur. 58 Vide *L.* 16. *D.* 3. adde Oldend. *class.* 4. *act.* 23. 3. Harm. 9. 59 Depositarius dolum duntaxat: & latam culpam præstat: at non fortuitum casum, nisi aliter convenit. *Synops.* 13. *tit.* 2. *c.* 35. 3. Harm. 9. §. 15. *Syn.* 13. *tit.* 2. *c.* 35.

positum